



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

rigore non modò IULIAM, sed viciniam etiam omnem in admirationem rapuit. Merita illius B. HILDEGARDI NVMEN aperuit, quando selam maximi splendoris eius virtutibus præparatam, in cælo spectabilem habuit. E vivis ut excessit ad GELDRIÆ & IULIÆ confinia, in oppido GERLACH sepulchrum reperit. Multis miraculis hodie dum illustre. *Neque unquam Orbi tam notus GERLACVS fuisse futurus, nisi tam ignotus vixisset.* Valentinus Leuchtius, D. Molanus, P. Canisius in Martyrologio.

VI.

NEOBVRGI habuit melioris vitæ natales S. HILARIUS è Pannonia Episcopus, Vir & eloquentiæ, & virtutis præstantis, S. HENRICI eius nominis *secundi*, Cancellarius, qui fauente Diuâ KVNIGVNDE PALATINA HENRICVM IMPERATOREM permouit, ut Monasteriũ Monialiũ generis nobilitate & virtute conspicuarum DANV BIO NEOBVRGI imponeret. Et cum omnia vnus (ut Imperatoris Cancellarius) administraret, strenuus iustitiæ, viduarum, & pupillorum Tutor Patérque exstitit. Ad extremum gazas suas omnes vel in pauperum usus, vel ad templorum adyta, piâ prodi-

prodigalitate sparsit; quem Bruschius refert à morte plurimis miraculis clarum, ferè in medio eiusdem *Cœnobij* NEOBURGENSIS honorifico Mausoleo tumulatum, laterique eius post multos annos, eodem die anniuersario junctam quondam ibi *Antistitem* defunctam fuisse MARGARITAM BOIAM plurimarum Virtutum DOMINAM, quam neque hîc seiungendam existimaui. Bruschius ad annum M. VII.

VII.

MArgarita hæc P. M. GEORGII, cognomento Diuitis, Ducis Filia, in splendidas opes nata, primo ætatis flore æuo suo pulchritudinis miraculum, Sponso mortali & illustri reiecto, CHRISTVM pulcherrimum ex filijs hominum Sponsum quæsiuit, & in *Altenboenaru* cœnobio cum duabns eiusdem nobilissimi sanguinis sodalibus reperit, pridie Natalis B. Virginis *Parthenonem* ingressa anno Æræ Christianæ M. CCCCXCIV. ibique *auso generoso* Virginem professa, capillos suos ipsa rescidit, illisque veluti vinculis iam expedita, mundum & res mortalium perosa excessit, omnium virtutum vividum exemplar: & quò altioris erat sanguinis,